

proprius usus, vel ad fundos prædictos instruendos sunt necessaria, adeo indecoris actibus se ipsos exercere conspiciuntur, adeo se totos curis, et sollicitudinibus hujus sæculi deditos, ac temporalibus lucris inhiantes ostendunt, ut qui sacræ dignitatis præstantia supra humanæ conditionis sortem erecti merito reputantur, infra ipsos abjectissimi status homines sese dimittant; et qui filii lucis esse, et apparere deberent, sæculi filios terrenæ aviditatis anxietate superare videantur. Hos aiebant omnibus Nundinis, atque Mercatibus, laicali propemodum apparatu, ac specie se sistere, nec quicquam minus, quam Clericalis moderationis, atque modestiæ, vel Ecclesiastici decoris, et gravitatis, specimen præ se ferre.

Quibus Nos quidem palam edicimus, nihil per Nos interdictum iri, quod ipsis, pro recta, et provida Ecclesiastici Patrimonii administratione, quoad ipsam actus naturam, permissum dignoscitur, vel etiam a Sanctis Patribus, et Ecclesiasticarum Legum Conditoribus eorum diligentiam commendatum. Verum sicut alia complura sunt, quæ Clericis, quoad rei substantiam non prohibentur, et tamen eorum usus, sub certis dumtaxat modo, et forma, iisdem permittitur, iis autem, qui præscriptum modum excesserint, statutamque Ecclesiasticæ Disciplinæ formam violaverint, tum temporales pœnæ, tum etiam spirituales censuræ a Sacris Canonibus infliguntur, cujus rei innumera extant exempla in generalibus Canonici Juris legibus, ac etiam in peculiaribus Diœcesum statutis, quæ plura de vita, et honestate, de habitu, et tonsura Clericorum, sive observanda, sive vitanda, præscribunt: Ita Vos, Venerabiles Fratres, oportet, Ecclesiasticorum omnium, qui in Diœcesibus vestris versantur, agendi rationem circa præmissa circumspicere, si quid Vobis constiterit frequentius ab iis admitti, quod Clericorum Statum dedecet, non solum eos idoneis instructionibus docere, ut collatæ sibi dignitatis celsitudinem cogitantes, non sibi licere putent indecoris actibus eam deturpare, debitamque Ecclesiastico Ordini existimationem, et reverentiam, quæ etiam spiritualibus Populorum utilitatibus plurimum prodest, ex Laicorum animis abolere; utque memores se in sortem Domini vocatos esse, non tam, quæ sua sunt, quam quæ Jesu Christi, quærant, et curent. Sed præterea, quatenus opus esse noveritis, opportunis Decretis conditis, ac severioribus Edictis propositis, ejusmodi Clericorum turpitudini, et cupiditati obviam ire; ac delinquentium culpas, habita minoris, majorisque scandali ratione, nunc quidem increpando arguere, nunc autem salutaribus pœnitentiis emendare, nunc demum districto pœnarum, ac etiam censurarum gladio ad cæterorum exemplum, coercere, et punire.

Et parem quidem, vel etiam majorem Pastoralis Zeli vestri sollicitudinem, atque constantiam requirit aliud corruptelæ genus, quod plures Ecclesiasticos Viros inficere, et ab Ecclesiæ servitiis abductos, ad sæculi cu-

ras convertere accepimus. Sunt enim, qui industriam, operamque suam, quam totam Divino cultui, et proximorum utilitatibus, ex charitatis lege, impendere deberent, Laicorum obsequiis, abjectisque servitiis addicere, aliquando etiam eorum negotiis administrandis, curandisque, pro temporali, eaque satis vili mercede, locare non recusant. In quo difficile est judicare, an magis deplenda sit eorum cæcitas, qui proprii gradus dignitatem ipsi proculcant, an potius reprehendenda sit Laicorum præsumptio, qui Sanctuarii Ministros, a quibus Christianæ vitæ documenta, æternæque salutis subsidia petere deberent, tam parvipendunt, ut eos in domesticis officiis sibi dicto audientes, servilibus ministeriis adhibere non vereantur.

Verum quod altius animum nostrum sollicitat, illud est, ne forte hujusmodi malum ex alio non minus detestabili abusu profluat; quod nempe aliquibus ad clericalem statum temere aspirantibus quandoque contingat fallacibus corruptisque documentis Ordinarium suum decipere, confictoque sibi Patrimonio, cujus fructus, aut nulli sint, aut ad ipsos non vere pertingant, ad Sacros Ordines absque redditibus ad honestam vitæ sustentationem sufficientibus, promoveri. Quare ne quis vestrum miretur, Venerabiles Fratres, si hac occasione arrepta, Vos omnes, et singulos enixe hortamur, atque monemus, ut cautiore hac in re, oculatioresque vos præbeatis, ne cui Subditorum vestrorum detur ad Sacram Ordinationem obrepere, qui ex Beneficio Ecclesiastico, vel Ecclesiastica pensione, aut ex Patrimonio sibi constituto, in casibus a jure permissis, omni submota collusionem, ac fraude, eam reipsa non percipiat annui redditus summam, quæ Synodali- bus cujusque Diœcesis statutis, aut legitima consuetudine definita dignoscitur.

Clericos autem, et Sacerdotes in Laicorum Domibus ejusmodi Ministeriis addictos, quæ eorum gradum et professionem dedecant, quæque eos a Divinis obsequiis, et propriæ perfectionis cultura, ad illiberalium occupationum, et sæcularium negotiorum agitationem traducant, quantumvis honestioribus in speciem titulis susceptum servitii genus aliquando obtegere admittantur, ne patiamini quietos in suo dedecore insordescere, aut forte obfirmatos, de sua ab Ecclesiæ castris defectione impune gloriari; sed omni Pastoralis sollicitudinis studio, et quatenus opus sit, tota Ordinariæ ac Delegatæ Jurisdictionis auctoritate, servatis servandis, eosdem ad Ecclesiasticæ vitæ instituta, et ad Clericalis Militiæ munera revocate.

Hæc sunt, Venerabiles Fratres, quæ pro Apostolici Ministerii Nostri officio, ad Ecclesiastici Ordinis honestatem, dignitatemque tuendam, et vindicandam sollicitudini vestræ suggerenda, enixèque commendanda judicavimus. Hac enim in re, quæ ex peculiaribus actionum circumstantiis maxime pendet, vestras omnino partes primas esse oportet, utpote qui Subditorum Vestrorum facta, eorumque adjuncta, regionum necessitates et

personarum mores, quidque apud prudentes, et probos viros, honesti, aut indecori speciem habeat, in singulis locis præsentibus constituti, et melius agnoscere, et securius æstimare potestis. Ut autem liberum Vobis sit in hoc rerum genere inordinata quæque corrigere, et reformare, quodcumque dispensationis, aut facultatis Indultum circa præmissa a quolibet Romanæ Curie Officio hactenus concessum, prudenti arbitrio vestro moderandum permittimus; nullum vero imposterum concedi volumus, nisi auditis prius Fraternitatum Vestrarum relationibus, et votis, adjectisque eidem Indulto ejusmodi formulis et conditionibus, per quas integrum Vobis relinquatur arbitrium de illius executione, et effectu ita cognoscendi, ut nemini Ecclesiasticorum liceat, illius prætextu, Negotium ullum, aut Ministerium minus honestum, contra interdictum vestrum assumere, aut susceptum retinere, et protrahere. Interim in Pastoralis zelo vestro acquiescentes, Fraternitatibus Vestris Apostolicam benedictionem ex animo impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majoram die 17 Septembris 1759. Pontificatus nostri anno secundo.

#### ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(92. *Ne Clerici, vel Monachi* (ita conceptus est ipse titulus quinquagesimus et ultimus libri tertii Decretalium) *sæcularibus negotiis se immisceant*. Inter alios vero hunc titulum commentatus est Boetius Epon. (93. Consulendi etiam, ubi res postulat, sunt Granulett. in *Apologia pro Lege divina prohibente Clericis Mercaturam*; Renatus a Valle, seu Theophilus Raynaudus in *Hipparcho seu disceptat. de Religiosa negotiatione*; Lick de *Cleric. artifice. et negotiator. et Michael Grassus de negotiis. Cleric. prohibet*. (94. Series vero negotiorum sæcularium Clericis interdictorum refertur in c. 1 hoc titulo. (95. In primis vero Clericis est interdicta negotiatio quæstuarium; cap. 9. et 10. dist. 88. Hæc vero negotiatio quæstuarium duplex est, vel *personalis*, vel *realis*. (96. Illa citra respectum prædiorum personis simpliciter competit, hæc autem prædiis cohæret, et jus quoddam

(1) Inter sæcularia negotia Clericis interdicta recensetur etiam studium Juris Civilis, uti patet ex allatis ibidem Juris Canonici sanctionibus. Causam enatam hujusce Constitutionis Canonice edendæ adjecta etiam censura excommunicationis ipso facto refert Cl. Gonzalez in *Notis ad cap. Super Specula 10. tit. Ne Clerici, vel Mon.* ubi et personæ etiam recensentur, quibus hujusmodi studium interdictum fuit. (Etenim ad solos studentes longe verosimilius restringendam laud. Canonicam Sanctionem probat et docet etiam Gonzalez *Comment. in cap. Non Magnopere tit. laud. n. 5.*) Hinc olim, uti refert Van-Espenius *Part. I. tit. 2. de Vita et honest. Cleric. n. 8.* in Romana Curia expediri solebant dispensationes, quibus Presbyteris, aliisque Clericis potestas fiebat hisce studiis Juris Civilis vacandi ad solum triennium.

Ex allatis porro Juris Canonici sanctionibus haud recte quis deducet legum humanarum sive Civili- um studium Clericis et Monachis esse plane interdictum: quandoquidem satis per se constat legum humana-

reale et eximium, et quod cum re ad omnem possessorem transit, denotat. (97. Non prohiberi autem Clericos talia prædia possidentes jus tale reale exercere, modo decorum non lædatur, tenet Michael Grassus, de *Negotiatione Cleric. prohibita, cap. 5. p. 40.* (98. Quod attinet ad negotiationem quæstuarium *personalem*, eam Clerici minime exercere dicuntur, si res emant non consilio illas vendendi et lucrum inde faciendi, sed animo comparandi necessaria, et superflua vendendi. Pignatell. *consult. 34. n. 19.* Panciroll. *dec. 6. adnotat. n. 5. et plur. seq.*

(99. Recollectionem vero nivis in propriis puteis, ejusque venditionem lucri et compendii causa pertinere ad negotiationem quæstuarium *personalem*, et sic vetitam esse Clericis, nervose pro more firmat Lanfredin. *Respons. Ecclesiast. 26. per tot.*

(100. Nota vero, quod contractus a Clericis initi, qui continent negotiationem quæstuarium *personalem*, non declarantur invalidi favore debitorum, sed quæsitæ ex iis spectant ad Cameram Apostolicam. Rota in *Decis. Lucana Pecuniaria 21. Jan. 1744. cor. bon. mem. Peralt. et in Romana Salviani 17. Junii 1748. cor. bon. mem. Vicecomit.*

(101. Illud non est omittendum, quod sub prohibito Physicæ studio Clericis in c. 3. et 10. tit. *Ne Cleric. vel Monach. etc.* intellecta eo tempore fuit Medicinæ ars. Confer. Bohemer. in *decretal. l. 13. dict. titul. § 16 (1).*

#### Additio ex Edit. Rom. 1767.

(102. Notarii qui inserviunt Papæ, Regibus, Archiepiscopis, Episcopis, Magistratibus majoribus, vere sunt nobiles, cum dicantur in dignitate constituti. Hi tamen cæteris Notariis in probitate, in scientia et in prudentia debent præcellere. Adeoque solliciti sint, ne eorum vitio Fiscus detrimentum patiat; *arg. text. in leg. fin. Cod. de bon. vacant.* Sed ut quisque suum teneat, et suis pacifice gaudeat, et ne de privatorum bonis diminutio fiat in familiarum direptionem ac eversionem; ne alias in seipsos, ipsorumque familias iram Dei, ac indignationem illorum, quibus inserviunt, convertant, ut advertit Imperator in severa l. *universi*

rum sive Civiliam studium Clericis et Monachis esse plane interdictum: quando quidem satis per se constat legum Civiliam cognitionem Theologicæ Scientiæ, illi præsertim quæ de Justitia et jure agit, plurimum conducere, atque ad Pontificiarum legum rectam intelligentiam plurimum adjumenti adfert Civiliam legum peritia. Etenim quemadmodum *Leges non dedignantur Sacros Canones imitari, ita et Sacrorum statuta Canonum Principum Constitutionibus adjuvantur. Cap. 1. de Novi oper. nuntiation.*

Nullatenus ergo statui, et vocationi Clericorum adversatur legum Civiliam studium, modo ea fiat moderatione, ut nec contra Apostoli præceptum Deo militantes negotiis sæcularibus implicentur.

Quapropter moribus receptum est, ut Clerici quinque libere leges, et Medicinam sine ullo excommunicationis metu audiant, neque ullus credat sibi specialem dispensationem Pontificiam esse necessariam, ut tutus sit a pœnis Canonicis. Quod de Belgio testatur Cl. Van-Espen. *loc. cit. n. 10.* et alibi etiam idem obtinuisse videtur. (*Edit. Neap.*)

*Cod. ubi caus. Fisc.* Sed ad hæc evitanda eligantur viri probi, ut monet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 3. Ita Felix Tombolini *de offic. Notar. lib.* 1. a quo hæc excerpta sunt.

## ARTICULUS IV.

*Clericus quoad cohabitationem cum mulieribus, et quoad choreas, larvas, comœdias, et alia spectacula publica.*

(1. Clerici non possunt frequentare domicilia foeminarum; *cap. Clericus 20. dist. 81.* ibi: « Clericus solus ad foeminae tabernaculum non accedat, neque frequenter properet sine majoris notæ Sacerdotis jussione. Nec solus Presbyter cum sola foemina fabulas misceat; nec Archidiaconus sub prætextu humilitatis, aut Officii frequenter intret domicilia Matronarum, aut forte per Clericos, aut Domesticos Matronæ mandet aliquid secreta. Si quid agnatum fuerit, et ille deponatur, et illa a liminibus Ecclesiæ arceatur. » *Concordat cap. Sed si forte 21. et cap. Cum omnibus 27. ead. dist. 81. et cap. Clerici 32. ead. dist. 81.* ibi: « Clerici, vel continentes ad viduas, vel virgines nisi ex jussu vel permissu Episcoporum, aut Presbyterorum non accedant. Et hoc non soli faciant, sed cum conclericis, vel cum quibus Episcopus, aut Presbyter jusserit, nec ipsi Episcopi, et Presbyteri soli habeant accessum ad hujusmodi foeminas, sed ubi aut Clerici præsentessint, aut graves aliqui Christiani. »

(2. Immo non solum Clericis est prohibitum frequentare domicilia foeminarum, sed insuper est eis vetitum foeminas ad sua domicilia admittere; *cap. Hospitiolum 17. dist. 32.* ibi: « Hospitiolum tuum, aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant; quia non potest toto corde cum Deo habitare, qui foeminarum accessibus copulatur; foemina conscientiam secum pariter habitantis exurit. » *Concordat cap. Oportet 23. dist. 81. et cap. Volumus 24. ead. dist. 81.* ubi sic expresse habetur: « Volumus, ut Sacerdotes prohiberi debeant, ne cum mulieribus conversentur; » et *cap. Legitur 25. ead. dist. 81.* ubi refertur S. Augustinum nec cum sorore sua habitare consensisse, ibi: « Legitur quod Beatus Augustinus ne cum sorore habitare consenserit dicens: Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt; » et *cap. Inhibendum 1. de cohabit. Cleric. et Mulier.* ibi: « Inhibendum est, ut nullus Sacerdos foeminas, de quibus suspicio esse potest, retineat, sed neque illas, quas Canones concedunt, Matrem, Amitam, et Sororem, quia, instigante Diabolo, et in illis scelus perpetratum reperitur, aut inpedissequis earumdem, sed si qua de his necessitatem habuerit, Presbyteri habeant in vico, aut in villa domum longe a sua conversatione, et ibi eis, quæ sunt necessaria, subministrent. »

(3. Quotiescumque enim Mulieres, quæ cum Clericis cohabitare permittuntur, sunt aliquo modo suspectæ, non tantum extraneæ et famulæ, sed etsi consanguineæ sint, separandæ sunt, et arcendæ ab illorum domibus, licet sint senilis ætatis. Nicol. *lucubrat. Ca-*

*non. lib. 3. tit. 2. de cohabit. Clericorum* 1. Sac. Cong. Episcop. in *Senogallien. 13. Febr. 1619. et in Ferrarien. 7. Junii ejusdem anni*, in qua famula erat ætatis annorum 66.

(4. Sinistra autem suspicione cessante, licitum est Clericis, et a Jure concessum, in domo sua retinere rei domesticæ gratia, seu ob aliud honestum motivum, Matres, Avias, Materteras, Amatas, Sorores, Filias Fratrum, aut Sororum, aliasve stricto naturali fœdere sanguinis conjunctas, textu expresso in *cap. Cum omnibus 27. dist. 81.* ibi: « Cum omnibus omnino Clericis extraneæ foeminae non cohabitent, sed solæ Matres, Avia, Matertera, Amita, Sorores, et Filia Fratrum, aut Sororum, et quæcumque ex familia domestica necessitate, etiam antequam orinarentur jam cum eis habitabant; vel si filii eorum, jam ordinatis parentibus, uxores acceperint, aut servis non habentibus in domo quas ducant, aliunde ducere necessitas fuerit. » *Concordat cap. Interdixit 16. dist. 32.* ubi Sancta Synodus Nicæna quibuslibet Clericis interdixit « subintroductam habere mulierem, nisi forte, aut Matrem, aut Sororem, aut Amitam, aut etiam idoneas personas, quæ fugiant suspiciones. » Et *cap. A nobis 9. de cohabit. Clericorum et Mulierum* ibi: « Cum Clericis quoque non permittas mulierculas habitare, nisi forte de illis personis existant, in quibus naturale fœdus nihil permittet sævi criminis suspicari. » (5. Quinimo cessante suspicione, nedum licitum est Clericis domi retinere supradictas foeminas sibi conjunctas naturali fœdere sanguinis, sed etiam alias extraneas pro re domesticasibi valde utiles, et necessarias; *cit. cap. Interdixit*, ubi Sancta Synodus Nicæna præter Matrem, Sororem, etc. permittit Clericis habere etiam idoneas personas, quæ fugiant suspiciones; et Glossa ibi verb. *Idoneas* istud exemplificans in uxoribus servorum suorum, *cit. cap. Cum omnibus 27. dist. 81.* Quibus addi possunt mulieres quæ sunt provecæ ætatis; *arg. cap. Cum in juventute 15. de præsumptionibus.* (6. Ætas autem provecæ, in qua cessat omnis aliena sinistra suspicio, et mulier, seu famula alias bonæ famæ, et honesta præsumitur cohabitare posse cum Clerico sine periculo incontinentiæ, est ordinariæ ætatis quinquaginta annorum, ut notat Monacell. *tom. 1. tit. 6. formul. 2. num. 1.* (7. Dicitur autem notanter ordinariæ esse ætatem quinquaginta annorum, ad denotandum posse interdum dari famulas, seu Mulieres tantæ bonæ famæ, et virtutis, ut etiam in minori ætate nullum relinquunt sinistre, et male suspicandi locum. Sicuti e contra possunt dari interdum aliæ, quæ licet in dicta ætate, aut simili, vel etiam in majori constitutæ, adhuc relinquunt, seu præbeant, sinistre suspicandi locum. (8. Et ideo, ut refert Barbosa *lib. 1. Juris Ecclesiast. univers. cap. 40. num. 39.* « conquerente apud Sacram Congregationem Cardinalium negotiis Episcoporum, et Regularium præpositorum Presbytero Jacobo Sanctissimo in sexagesimo ætatis suæ anno constituto,

Episcopum Senogalliensem, ut famulam ætatis quadraginta annorum removeat, sibi injunxisse, » eamdem Sac. Congregationem supplicavit, « ut Oratorem hac de causa molestari minime permittat: » Sac. vero Congr. *die 13. Februarii 1619.* « eumdem Jacobum parere debere » respondit. Idem censuit in una Ferrariensi die 7. Junii ejusdem anni contra Presbyterum Joannem Baptistam Rebillum annorum 64. et ejus famulam annorum 66.

(9. Unde remittitur prudentiæ, et vigilantia Episcoporum, ut attenta ætate, qualitate, et morum honestate tam Clericorum quam Mulierum, seu famularum eis concedant, vel interdiciant cohabitationem, prout eis melius in Domino expedire videbitur. (10. Possunt enim Episcopi de Jure prohibere Presbyteris et Clericis, ne domi retineant famulas, nisi fuerint ab ipso approbatæ, et absque sua licentia. Sed hanc concedendo debent illam gratis expedire, ne unquam pusillitas occasio detur dubitandi Sacros Cánones cohabitationem cum Clericis prohibuisse, ut exinde Episcopi quæstum faciant, ut monuit Sac. Congreg. Episcop. et Regul. *Episcop. Bergomensem 22. Novembr. 1593.* (11. Dato autem quod mulier esset Presbytero, seu Clerico conjuncta in gradu consanguinitatis de Jure permissa, tunc non videtur imponenda necessitas licentiam ab Episcopo impetrandi, etiamsi retineatur cum qualitate famulatus, ut censuere videtur Sac. Congreg. Conc. in *Cæsenaten. Synod. 26. Febr. et 26. Mart. 1695.* (12. Dummodo tamen non sit suspecta, quia in tali casu ob periculum incontinentiæ non posset retineri, etiamsi esset sibi stricto fœdere sanguinis conjuncta; *ex d. cap. Inhibendum 1. de Cohabit. Cler. et Mulier.* ibi: « Inhibendum est, ut nullus Sacerdos foeminas, de quibus suspicio esse potest, retineat, sed neque illas, quas Canones concedunt, Matrem, Amitam, et Sororem, quia instigante Diabolo, et in illis scelus perpetratum reperitur; » et declaravit Sac. Congr. *deputata in Vigilien. Synodi 20. Maii 1699. ad 16.*

(13. Clerici non possunt Choreas, aut Saltationes ducere, nec ubi ducuntur publice interesse. Conc. Senonense *cap. 25.* ibi: « non se admisceant Choreis publicis, tripudiationibus, aut saltationibus, non turpes, amatorias, aut lascivas depromant cantilenas, seu cantationibus faveant, aut adsint. » Concil. Mogunt. IX. c. 74. ibi: « Choreas spectaculaque, et Convivia publica vitent, ne ob luxum, petulantiamque eorum nomen Ecclesiasticum male audiat; » Conc. Mediolanens. I. part. 2. cap. *His igitur, dist. 23. cap. Non oportet, dist. 5 de consecr.* Conc. Trident. sess. 22. cap. 1. *de reformat.* et Sac. Congregat. Episcop. et Regularium, in *Ferrarien. 5. Februar. 1585.* (14. Clerici non possunt personam incedere, seu larva, aut ut vulgo dicitur *Maschera* se tegere; *cap. Cum demum 12. de vita et honestate Clericorum. c. Nullus, dist. 44. c. Nullus Presbyterorum, dist. 5. de consecr.* Concil. Mediolanens. I. part. 2. tit. *de armis, ludis* etc. (15. Et hinc est, quod talis prohibitio po-

test ab Episcopo extendi etiam ad Regulares, prout laudando Episcopum Ferrariensem respondit Sac. Congreg. Episc. et Regul. 5. Febr. 1585. et Sac. Congregat. Conc. in *Mantuana 10. April. 1645.* declaravit posse etiam in Clericos incedentes personatos tempore bacchanalium imponi ab Episcoporum Excommunicationis. (16. Clerici vitare tenentur Comœdias, Hastiludia, et alia hujusmodi vana spectacula. *Authen. de Sanctissim. Episcop. § Interdicimus cap. 1. dist. 37. cap. Non oportet distinct. 5. de Consecr. cap. Cum duorum 12. et cap. Clerici Officia 15. de vita et honest. Cler. cap. 2. Ne Clerici, vel Monachi, cap. inter dilectas, de excessibus Prælat.* Non igitur licet Clericis interesse Comœdiis, dum ut plurimum sint de rebus lascivis, turpibus, et amoribus mundanis, provocantes auditores ad malum, et libidinem; ac Spectatores suo accessu, et præsentia causam afferant scenicis turpia agendi; et ob id plurimi ex classicioribus Doctoribus docent, mortali peccato obnoxios esse, et qui Comœdias exhibent, et qui ad eas accedunt, ut plurimum ad hoc cumulatis refert Pignatell. *tom. 8. consult. 153. per tot.* acriter invehens in Comœdiarum Actores, et Spectatores. (17. Nec ullo modo possunt Clerici recitare in Comœdiis profanis; et contra recitantes in ipsis posse Episcopum statuere pœnam Excommunicationis ferendæ sententiæ, declaravit Sac. Congreg. Conc. in *Sulmonen. 22. Aug. 1655.* (18. Nec Mimis, Joculatoriis, et Histrionibus intendere debent; *text. expresso in cap. Clericis Officia 15. de vita et honest. Cler. ibi: Mimis, Joculatoribus, et Histrionibus non intendant.*

(19. Et quoad hæc attendenda est sequens novissima Epistola, qua Vicario Capitulari Aquilano jussu Summi Pontificis mandatur, ut Sacerdotibus, et Clericis ejusdem Civitatis inhibeat, ne in Comœdiis cujusvis generis interlocutorum partes agant.

E pervenuto a notizia della Santità di Nostro Signore, che in cotesta Città sia per recitarsi una Commedia in Musica, nella quale intendano d'intervenire per Interlocutori alcuni Sacerdoti; e se bene la Santità Sua difficilmente si persuade, che voi, quando seriamente riflettiate alle Calamità universalì, ed anco particolari di cotesta Città, non vi possiate indurre a permettere a' Sacerdoti, e Chierici, che compariscano ne Teatri, e Rappresentanze, le quali appena si tolerano nelle persone Laicali, essendo ciò vietato da' Saggi Canoni, e dalle Risoluzioni di questa Sagra Congregazione, tuttavia ha stimato distrettamente ingiungere, che proibiate in nome di Sua Beatitudine sotto gravi pene a' Sacerdoti, e Chierici d'intervenire, come sopra, in alcuna sorta di Commedie, o Rappresentanze, benchè Sagre, o Spirituali. Non mancherete per tanto d'obbedire al Supremo comando di Nostro Signore ec. E Dio vi prosperi; Roma 31. Ottobre 1706.

## ADDITIONES AUCTORIS.

(20. Clerici a profanis bacchanalium licentiis specialiter abstinere jubentur. Bened.